





QVID SIT

כלע את - הקרש

NVMER. IV. 20.

PAVCIS EXPONIT

ET

ORATIONES

DVORVM IUVENVM

VALEDICTVRORVM

INDICIT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN,

RECT. GYMNI.

FREIBERGÆ,

Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII

CXXXVI.

Praesenti tempore, quo coetus sanctior memoriam Domini ac Salvatoris sui, acerbissimos cruciatus et ipsam mortem pro hominibus passi, publica solemnitate restaurat, nos etiam hoc mysterium omnium confessione maximum religiosissimo cultu prosequi decet. Et inter alia quidem momenta, quibus ad hoc officium excitari debemus, hoc etiam pertinet, quia legimus atque audimus, quanto studio homines profani quondam ficta sua mysteria coluerint. Nam cum aliis in rebus, tum maxime in religionis negotio homines ea indole esse, videmus, ut, quam rem ipsam non habent, inani illius spectro ac simulacro deludi se patiantur. Quum igitur sana ratio et conscientia hominibus veri dei ignaris dictaret, religionis vim magnam esse; neque tamen modum ac viam cogitando adsequi possent, qua ad illam peruenirent: futiles quasdam et ieiunas caerimonias in locum verae religionis substitutebant, easque arcanorum nomine commendabant. Talia erant mysteria putativa Graecorum, et nominatim Proserpinae in Attica, Cybeles in Samothracia, Hecates et Bacchi in Boeotia, Mithrae in Asia, Isis in Aegypto, etc.

Omnium autem celeberrima Eleusinia sacra erant, ab oppido Atticae, Eleusinae, nomen nata, iuxta quam Ceres filiam Proserpinam, tam diu quaesitam, inuenit, incolis vero singulares dies festos ad sacra huius in rei memoriam facienda imperavit. a) Et si quidem de fine, ad quem ea spectaverint, quaerimus, ARRIANVS b) paucis multa complectitur, respondens: *ἐπι παιδείᾳ καὶ ἐπινοήσαστε τὴ βίη τὰντα κατεσθῆναι*, h. e. ad disciplinae obseruationem et vitae emendationem fuisse instituta. Vnde etiam *τελεταί* adpellabantur, quia summam perfectionem generi humano comparare censebantur. c) Quanta vero cum cura et circumspectione in his sacris peragendis versati fuerint, luculentis testimoniis constat. Nam

quis Cereris ritus audet vulgare profanis? d)

Quandoquidem ipsi mystae in vestibulo sacrarii consistere iuebantur, imo ne epoptis quidem atque in adyta iam admissis omnia reuelabantur. Et hanc ob causam haec mysteria ab HERMETE TRISMEGISTO e) *ἀρρηταί*,

a) *Isocr.* in Panegyry.

b) in *Epietet.* L. III. c. 21.

c) *Dionys.* *Arcop.*

περὶ τῆς θρακίας ἱεραρχίας. cap. I.

d) *Art. Am.* L. II. 69.

e) L. XII.

ἀρρητὰ, ineffabilia, à BASILIO M. ἀπορρητὰ f) non divulganda, à TIBULLO g) nulli temeranda deorum, mystæ vero σιωπηλοί, h. e. taciturni dicebantur, h) Præcipue vero ille calathus, in quo Ceres Proserpinam deprehenderat flores colligentem, solenni pompa curru inpositus vehabatur, et hoc hymno circumducebatur: i)

τον καλαθον κατιοντα χορμαι θασηδε, βεβηλοι,
μηδ' απο τε σειρεος, μηδ' υψοθεν ανυγνηθε. h. e. calathum hunc
descendentem deorsum spectate, profani, neque a tecto neque ab excelso cum
intuemini. Sequebantur feminae cistas mysticas gestantes, quae κισσοφοροι et
μυσιπολοι παλαρσιο adpellabantur. k) Praeterea tanta erat horum sacrorum
reuerentia, vt, PAVSANIA teste, l) arcanorum aspectu ii prohiberentur,
qui non erant initiati, et ne liceret quidem quicquam de iis percontari.
Quo loco non videtur alienum, narrando repetere, quid aliquando Nume-
nio Philosopho, teste MACROBIO, m) euenerit. Huic enim, quod my-
steria non satis religiose tractauerat, et imprimis Eleusinia sacra divulgaue-
rat, somnium offensam deorum indicabat. Siquidem visæ sibi sunt deæ
Eleusinae, habitu meretricio ante apertum lupanar stantes: admiranti vero
et causas huius turpitudinis sciscitanti iratae responderunt, se ab ipso pudici-
tiae adyto vi abstractas, et, omnis generis hominibus aduentibus, fuisse
prostitutas. Neque aliam ob causam Athenienses Diagoram Melium,
quam quod illa mysteria propalauerat, patria carere iubebant n) Pari fato
Aeschylus, pœta tragicus, in vitae discrimen incurrebat, quod eadem sacra
in scena exploserat. o) Hoc consilio, qui initiati non erant, cancellis et
funibus circumductis ab iis arcebantur, vt POLLVX ait, p) *ἵνα μηδεις προση
ἀνεποπτειτος*, h. e. vt ne quis sine auspiciis accederet. Testis est HORATIVVS,
adeo religiosus, vt omnem cum huius generis homine consuetudinem de-
precaretur, canens: q)

- - - - -
vetabo, qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanae, sub isdem
Sit trahibus mecum.

CLAV-

f) in Psalm. XLV.

g) L. III. El. 5.

h) Hesych. voc. *μυστης*.

i) Callimach. Hymn. in Apoll.

k) *Nom.* Dionysiac. XIII. 188.

l) in Attic.

m) in Somnio Scip. L. I. c. 2.

n) Suid. v.

Διαγορας,

o) *Clem. Alex.* Strom. L. II. f. 382.

p) Onomast.

L. VIII. 12.

q) L. III. Od. 2.

CLAVDIANVS autem horum sacrorum dignitatem his verbis commendat: r)

gressus remouete, profani!

Vti vero certum est atque exploratum, quod homines profani com-
mentitia sua mysteria ex sacris Israëlitarum hauserint, eaque ad suum inge-
nium formauerint: ita nullum est dubium, eosdem reuerentiam etiam inde ac-
cepisse, qua illi sacra sua procurabant. Quum igitur audissent, illorum
deum in occulto habitare, s) et occultum nominari, t) non est, quod mi-
remur, *κακοζήλια* abreptos, non solum *deos ignotos* finxisse, u) sed etiam
nominatim Iouem Ammonium, i. e. *אמון* annum, absconditum coluisse. w)
Neque alia mente templa sua solis luce prorsus privabant, quod, ne sim
prolixus, vnius SPONII testimonio probabo, his verbis concepto: x) *du
tems des Payens ce temple* (loquitur de templo Mineruae, cuius rudera
Athenis invenerat,) *n' avoit aucun jour que celui, qu' il pouvoit recevoir
par la porte, qui l' affoiblissoit en venant dans le pronaos, qui ne recevoit
aussi de clarté, que par le premiere portail. Ils s' imaginoient sans
doute, que l' obscurité avoit quelque chose de plus majestueux, qui im-
primoit plus de respect à ceux, qui entroient.* His addi possunt luci tene-
brosi atque obscuri, quos gentiles, deastris suis sacra facturi, frequenta-
bant. y) Vnde etiam *αδύρα* i. e. loca non adeunda originem habent. z)
Et Mineruae imagini haec verba adscripta fuisse: *Velum meum nemo re-
velet!* GYRALDVS testatur, a)

Et cum his, quae iam in medium attulimus, ea verba ex litteris
sacris conferri merito possunt, quae in fronte huius scriptionis leguntur, ad
mandatum illud pertinenti, quomodo Aharon et Cahatitae cum vasis san-
ctis agere debeant, *לֹא יָבֹאוּ לְרִאֹת כְּכֹלֵם אִם הַקֹּדֶשׁ וַיִּמְרוּ*, *ne accedant ad intuen-
dum, quum retegitur, sanctuarium, ne moriantur.* Deus nimirum ad sa-
cra sibi facienda non modo strictissimum ordinem, habita ratione locorum
et temporum, praescripserat, sed modum etiam praeceperat, quo taberna-
culum oraculare, pars sacrorum spectatissima, tam consilium debebat, quam
componi. Quamprimum scilicet columna nubis se eleuabat, et populo
conti-

r) de rapt Proserp. I.

s) Exod. XX. 21. Deut IV. 11. 2. Sam. XXII,

10. 1. Reg VIII, 12. 2. Chron. VI. 1.

t) Ies. XXXV, 15.

u) Act.

XVII, 23.

w) *Strep. Moyne* Var. Sacr. T. II. 131.

x) *Itine-*

rar. T. II, p. 153.

y) Hos. IV, 13. Ezech. VI, 13.

z) *Ant.*

van Dalen de Orac. gentil. p. 66.

a) Syntagm. de diis, c. XI.

continuandam profectioem imperabat, aulae sanctuarii demittebantur, arca autem foederis, panes propositionis, candelabrum aureum, et thuribulum cum reliquis vasis sacris tegumento inuoluebantur, neque publice ad spectum exponebantur. Quod eo consilio fiebat, ut ea, quae typi erant Messiae et beneficiorum caelestium, iusta reuerentia colerentur, neque temeraria curiositate profanarentur, et sanctuarium canibus proiiceretur. Nam singulos ritus Levitici cultus inuolucra fuisse beneficiorum per Salvatore in nouo foedere conferendorum, ipse Spiritus veritatis adfirmat. b) Inprimis vero Moses Cabatitas, sacris portandis destinatos, monet, ut animum ad cavendum attendant, ne improuidentia et malefana curiositate certissimum vitae discrimen incurrant, c) Nam solum ad spectum sanctuarii, vel temere reiecti, vel non satis reuerenter habiti, piaculum fuisse poenis acerbissimis imo ipsa morte luendum, historia Afdoditarum, d) et Vfae e) testatum facit. Et talis incauta curiositas et improuida auiditas, aliquid oculis vsurpandi, nostro in loco dictione *בלב*, significatione ponderis et nervorum plena, percommode indicatur. Et proprio quidem in sensu ea id omne notat, quod vi vel iniuria deglutitur atque absorbetur, veluti macilentae spicae crassas et pingues, f) terra impios, g) homo suam salivam, h) impii pios, i) profani Ibraelitas, k) iniusti iustos, l) et piscis Ionam deglutisse leguntur. m) Per metaphoram vero idem verbum de quacunq; auiditate nimia et perniciosa vsurpatur. Quo sensu Salomo dicit: n) os impiorum iniquitatem deglutit, h. e. summa auiditate sectatur, et sciens atque volens in suam perniciem ruit. Et eandem in sententiam formula loquendi *קרב רח בלב* explicanda est atque adplicanda. Neque aliam significationem locutiones huic similes admittunt, quales sunt, comedere sermonem, o) *Φαγεσθι ἑσθια*, p) alicuius *dicta* devorare, q) oculis aliquem vorare, r) et quum PAVLINVS canit: s)

*quaeque docebatur puer, admirante magistro,
sorbebat docili nobilis ingenio.*

Itaque

-
- b) 2. Cor. IV, 3. III, 15. 16. c) Num. IV, 15. 19. d) 1. Sam. V, 8-12. e) 2. Sam. VI, 6. 7. f) Gen. XLI, 7. 24. g) Num. XVI, 30. h) Hiob. VII, 19. i) Ps. XXXV, 25. k) Hab. I, 13. l) Hos. VIII, 8. m) Ion. II, 1. n) Prou. XIX, 28. o) Ier. XV, 16. p) Aristoph. in Plut. q) Plaut. Afin. III, 3. r) Martial. L. I. Ep. 97. s) Carm. XV, 5. 14.

Itaque severissima lege Cahatitæ vetabantur, ad sacrarium se conferre, antequam sancta suppellectilia stragulis tecta essent, ne, si ea nudata adspicerent, gravissimas temeritatis poenas Deo darent. Et merito hanc hominum audaculorum insanam curiositatem detestamur, quæ res ab intellectu humano longissime remotas, et sapientiae naturalis modulum omnino excedentes lumini rationis subiicere, et profano ingenio rimari non erubescit. Quis enim Dei immortalis tonitrua non exhorrescit, quibus plebs promiscua a monte abarcebatur, gratiæ propioris præsentia collustrando? t) Quis nescit, Deum inaccessible lumen inhabitare? u) Quis non legit, quam gravem poenam luerint Bethsemitæ, quia *ראו את הארון וישמחו לראות* videbant arcam foederis, et videntes gaudebant. w) Ad cuius rei gestæ similitudinem ea historia composita esse videtur, quam PAVSANIAS x) narrat, de illa arca differens, qua Bacchi simulacrum recondebatur. Nam quum Eurypilus quidam, curiositate impulsus, illam aperuisset, et inclusam dei imaginem sine veneratione adspexisset, *ἀντὶ τῆς ἐκφρασεως μετα το θεασθαι*, h. e. statim ex hoc spectaculo mentis impos fiebat. Hanc in sententiam gravissima sacris litteris consignata mandata leguntur, quæ ab hac curiositate reuocare nos debent. Namque ita præcipit Salomo; Ne nimium sapere tibi videre: y) quo sagacior sibi homo videtur, eo minus aliquid inuestigabit: z) qui arcana scrutatur, in difficultates incidit. a) Ita David: non quaero, quæ captium meum superant; b) ita Paulus: ne quis sapiat ultra, id quod sapere decet; c) ita Siracides; captu difficiliora venari noli, et viribus tuis superiora ne inquire; nam occulta oculis percontari non licet. d) Ex virulento enim hoc fonte quæstiones inutiles et rixosæ verborum velitationes oriuntur, quas apostolus tanquam periculosas condemnat, e) et quas serio auersari nos decet, f) quia homines iis neque doctiores neque meliores redduntur, g) imo futiles lites pariunt, et quia ex ingenio luxuriantia nascuntur, innumera portenta exegetica ex sacris litteris exsculpunt, quæ contradictiones fingunt, ubi nullæ exstant.

Quæ quum ita sint, antiquiores ecclesiæ doctores in eiusmodi malefanam curiositatem gravissime sunt inuecti. Ita enim TERTULLIANVS: h) *cedat curiositas fidei: nam aduersus regulam nihil scire, est omnia scire.*

t) Exod. XIX, 21.

x) in Attic.

a) Prov. XXV, 27.

d) I. c.
10. 13. 14.

u) I. Tim. VI, 16.

y) Cohel. VII, 17.

b) Rom. XII, 3.

e) I. Tim. IV, 7.

g) Tit. III, 9.

w) I. Sam. VI, 13.

z) Cohel. VIII, 12.

c) Sir. III, 22 - 26.

f) 2. Tim. II, 23. Tit. I,

h) de præscript. heret. c. 14.

scire. Ita HILARIUS: i) sicut sol ita videndus est, ut possit videri, tantusque excipiendus est lumine, quantus admittitur, ne, si velimus plus spectare, minus, quam possumus, consequamur: ita ratio caelestis in tantum expedienda est, in quantum se dedit apprehendendam. Ita HIERONYMUS: k) qui subtilia sectantur, similes sunt protoplastis, qui, quum ante oculos tam arborem vitae quam scientiae mali et boni haberent, ad hanc manus extendebant, eoque omnem malorum lernam sibi comparabant. Ita CHRYSOSTOMUS: l) nos decet, μήτε ἀχελειν, μήτε πολυπραγμοειν, quia nihil praeter voluntatem diuinam curiosus est indagandum. Ita GREGOR. NAZ. m) ingenue profitetur, se malle esse ignarum, quam male curiosum, et stupidum, quam in pronuntiando audacem. Ita AVGVSTINVS: n) diuina eloquia a nobis palpantur potius, quam tractantur, dum in plurimis potius quaerimus, quid sentiendum sit, quam definitum aliquid fixumque sentimus, et ea cautio, quum sollicitudinis plena sit, multo est melior, quam temeritas adfirmandi. Et ita LACTANTIUS: o) qui inconcessa scrutari volunt, et qui caeleste templum impiis disputationibus profanant, multo sunt sceleratiores, quam qui aedem Vestae, Bonae Deae, aut Cereris intrant.

Et haec circumspectio ad mysteria diuina adhibenda etiam ad ecclesiam noui foederis primitiuam transibat, et *Disciplina Arcani* nominabatur. Hanc autem duplicis generis fuisse, constat. Altera enim homines profanos et nondum initiatos a sacris Christianorum longe abesse iubebat, quem in finem tempore, quo sacra peragebantur, diaconi atque osiarii portas templorum diligenter custodiebant. Altera autem in hoc versabatur, ut mystagogi in conspectu nuper initiatorum vel plane de mysteriis illerent, vel obscuro dicendi genere vterentur. Cujus instituti haec videtur fuisse causa, ne homines profani et nondum initiati vel simplicitate rituum christianorum, vel mysteriorum sublimitate offenderentur, simul vero vt in animis praesentium iusta et religiosa veneratio mysteriorum excitaretur. p)

Hoc autem argumentum, de quo iam disputauimus, ideo nobis arripit, quia duo nostrorum alumnorum focii, qui ad mysteria sacra tractanda bono

i) de Trin. L. x.
in Ioh. XXI.

o) Institur. L. III. c. 20.

k) in Ies. XLVIII, 17.

m) de moderatione adhibenda.

p) Casaubon, Exercitat. XVI.

l) Homil. LXXXVII.

n) Epist. CCL.

bono cum Deo animum adpulerunt, legitimis confectis, iam in eo sunt, vt stadium, in pergulis scholasticis tentatum, in palæstra academica faustis auspiciis persequantur. Qua mente antequam abeant, orationibus ad hoc argumentum adcommo- datis, finem laboribus scholasticis imponent, simul vero animum beneficiorum memorem publice declarabunt, et eorum conscientia exstimulati Deo, Parentibus, Patronis, Magistris, Fautoribus atque Amicis gratias, quanta fieri potest, religione perfoluent. Et alter quidem, qui *Ovidii* verbis commendari meretur; in quo q)

*ingenium caeleste, suis velocius annis
surgit, et ignauae fert male damna morae,*

IO. FRIDR. BIELIZ,

Schoenerstad. Mispn.

sermone Romano de incertis et dubiis Theologorum sententiis strictim exponet. Alter vero, qui suo exemplo docet, cum arte voce ac fidibus scienter canendi pares in litteris progressus optime copulari posse, vel vt *Virgilius* loquitur, r) qui cantare par est, et respondere paratur,

IO. MART. SCHVLZE,

Vhricomont. Mispn.

is mysteriis, quae hac tempestate ab iis venditantur, qui futura fata praedicunt, adductus, itidem verbis Latinis vanitatem recentiorum vaticiniorum persequetur. Suo vero et condiscipulorum officio satisfaciet,

Christ. Gottbelf Funcke,

Freib.

carmine germanico futes vulgi opiniones de praesagiis ex signis ueritis capiendis monstraturus, valedicentes autem gratulationibus et votis dimissurus.

Hos si Vos, PATRONI ac FAVTORES, cras, hora ante meridiem nona auscultatione beneuola dignari volueritis, habebunt, de quo sibi gratulabuntur, et vniuersa schola hanc voluntatis propensae significationem omni observantia prosequetur. *Freib. a. d. 5. Mart. A. R. S.*

MDCCLXX.

q) Art. am. I. 185.

r) Virg. Ecl. VII. 5.

Yb 627

ULB Halle

001 508 164

3



(811148)

TA → OL







QVID SIT
כלע את - הקרש
NVMER. IV. 20.
PAVCIS EXPONIT
ET

ORATIONES
DVORVM IUVVENVM
VALEDICTVRORVM
INDICIT
M. IO. GOTTL. BIDERMANN,
RECT. GYMNI.

FREIBERGAE,
Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

CXXXVI.